

## INCIPIT EPISTULA IOHANNIS III

<sup>1</sup> Senior Gajo carissimo, quem ego diligo in veritate.\* <sup>2</sup> Carissime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi, et valere sicut prospere agit anima tua.† <sup>3</sup> Gavisus sum valde venientibus fratribus, et testimonium perhibentibus veritati tuæ, sicut tu in veritate ambulas. <sup>4</sup> Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.‡ <sup>5</sup> Carissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos,§ <sup>6</sup> qui testimonium reddiderunt caritati tuæ in conspectu ecclesiæ: quos, benefaciens, deduces digne Deo. <sup>7</sup> Pro nomine enim

---

\* **1:1** Argumentum Gaium pietatis causa extollit, atque ut in ipsa pietate maneat exhortatur: Diotrephen impietatis et superbix causa objurgat. Demetrio autem bonum testimonium perhibet cum fratribus universis. † **1:2** De omnibus orationem, etc. Sicut nunc intentio recta abundat tibi, et perseverat bona voluntas largiendi indigentibus, et facultas opum; ita semper virtutibus plenam, Domino adjuvante, vitam ducere possis. ‡ **1:4** Majorem horum. Ideo gavisus sum, quia horum fratrum venientium non habeo majorem gratiam, id est: quando fratres veniunt ad me, in nullo facto vel verbo eorum magis gaudeo quam quando annuntiant filios meos (quos prædicando vel baptizando genui) veritatem rectæ fidei et operationis observare. § **1:5** Charissime, fideliter, etc. Ideo non debes deficere ab hospitalitate et eleemosynis. Quidquid enim operaris in fratres fideliter, id est sicut fidelis, id est sicut decet fidelem facis, non pro vana gloria, sed fidem tuam operibus ostendis.

ejus profecti sunt, nihil accipientes a gentibus.\*\*  
 8 Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut co-  
 operatores simus veritatis. 9 Scripsissem forsitan  
 ecclesiæ: sed is qui amat primatum gerere  
 in eis, Diotrophes, non recipit nos:†† 10 propter  
 hoc si venero, commonebo ejus opera, quæ facit,  
 verbis malignis garriens in nos: et quasi non ei  
 ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres: et eos  
 qui suscipiunt, prohibet, et de ecclesia ejicit.‡‡  
 11 Carissime, noli imitari malum, sed quod bonum  
 est. Qui benefacit, ex Deo est: qui malefacit, non  
 vidit Deum. 12 Demetrio testimonium redditur ab  
 omnibus, et ab ipsa veritate, sed et nos testimo-  
 nium perhibemus: et nosti quoniam testimonium

---

\*\* 1:7 Pro nomine enim ejus, etc. Quasi: Vere sunt honorandi, non enim pro suis sceleribus expulsi sunt a patria, sed sponte profecti sunt pro nomine Christi ampliando, et pro nomine ejus patiando. †† 1:9 Scripsissem forsitan, etc. Perseverare debes in eleemosyna, quia utilitatem tantam in ea intelligo, quod non solum tibi, sed etiam toti Ecclesiæ scripsissem de commendatione eleemosynæ, sed hac necessitate dimisi, quia Diotrophes non curat nostram auctoritatem. Diotrophes hæresiarcha illius temporis nova docendo principatum sibi usurpabat. Diotrophes interpretatur speciose insulsus, sive decor insaniens, ut perfidiam cordis etiam nomine signet. Ecclesiæ. Illi Ecclesiæ, quæ forsitan, id est dubitative est Ecclesia, et ut per observationem eleemosynæ mereretur perfecta fieri Ecclesia, scripsissem. ‡‡ 1:10 Commonebo. Id est, in omnium notitiam manifestius arguendo producā; quorum exemplar nusquam habet; sed facit ea, et nova invenit, garriens, falsis rationibus utens in nos confutandos et sic ad vos a fide retrahendos. Sicut linguas detrahentium nostro vitio non debemus excitare, ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, ut meritum nobis crescat, aliquando com-  
 pescere, ne dum de nobis disseminant, eorum qui audire bona poterant, corda corrumpant.

nostrum verum est. §§ 13 Multa habui tibi scribere: sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi. 14 Spero autem protinus te videre, et os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.\*\*\*

---

§§ 1:12 Demetrio testimonium. Quod illum velit imitari bonum, aperit ut imitetur Demetrium, ut simili laude omnium possit et ipse dignus existere. \*\*\* 1:14 Pax tibi. Amicis gratiam pacis et salutis mandat, ut veritatis inimicos a salute monstret extraneos esse.

**Bibbia Vulgata Clementina na 1598**  
**Clementine Vulgate of 1598 with Glossa Ordinaria**  
**Migne edition 1880 in Latin**

Public Domain

Language: Latine (Latin)

Translation by: Jerome

2014-08-23

---

PDF generated using Haiola and XeLaTeX on 21 Feb 2024 from source files  
dated 31 Aug 2023

7ca33455-379f-554d-a635-9009adbd90c5